



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

De Nomine Jesv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

S T R E N A I I.

De Nomine JESU.

Nomen novum & à sæculo non auditum in strenam vobis offero. Est enim Jesus idem quod Salvator, ut ex ratione ab Angelo allegata manifestum est. Cùm etenim S. Joseph Virginem S. deserere cogitaret apparuit illi Angelus Matth. 1. cum his dictis. *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam: &c. Pariet filium & vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Hanc salutem, hanc gratiam, hanc libertatem, hunc denique Salvatorem hæcenus non agnovit mundus. Fuerunt quidem & alii Salvatores, ut Joseph, Gedeon, Jephthæ, Samson, David. Sed qui temporalem tantùm procurarunt salutem non verò æternam. Quinque libros Moyses de lege Domini scriptos reliquit, sed in illis vix aliud, quàm vineas, oliveta, domos, rura, pecora, sospitatem, pollicitus est, juxta illud Isai. 1. *Si volueritis & audieritis me, bona terra comedetis.* Quia enim carnalis ille populus spiritualium bonorum dignitatem aut ignorabat, aut parvipendebat, aut certè negligebat, terrenorum verò bonorum magis amore capiebatur, ideò hæc ipsa pro illa temporis ratione maximè lex divina promittebat. Qualis ergo erat salus quam lex tẽpore illo suis cultoribus promittebat, tales erant & Salvatores, quos aliquando Deus ad salutem illorum destinabat, nempe temporales, qui non veram, solidam, æternamque salutem; sed fragilem, caducam, & cum ipso corpore perituram præstabant. Jesus autem ideò Salvator dictus est, quia spiritualem & æternam salutem nobis contulit, & non tantùm nos à malis liberavit, sed etiam ab omnium malorum causa, nempe peccato. Illi alienum fundendo sanguinem, suis pacem & salutem pepererunt, hic

B 2

verò

verò novus Salvator fundendo proprium. Illi certis quibusdam Civitatibus & Provinciis, hic autem toti planè mundo hanc libertatem & salutem attulit. O novum nomen, novam salutem, novam Divinæ pietatis gratiam! Quia igitur hoc est *nomen novum* juxta Scripturam Isai. 61 *quod os Domini nominavit*, etiam nos hoc nomen Strenæ loco vobis offerimus. De quo nomine multa quidem dici possent, tantùm quædam sub triplici capite proponemus. Quorum primum erit de dignitate, excellentia, & reverentia hujus nominis. Alterum de virtute & efficacia. Tertium de dulcedine & suavitate.

Quod primum attinet, dignitas nominis, ab Authore peti desumiq; solet, quòd hoc nomen inditum sit non temerè aut casu aliquo, non humano sensu aut suffragio delatum, non privata auctoritate ambitiosè usurpatum, sed divinitus & à Deo ipso impositum, nec qualitercunq; & usitatà providentiâ, sed per specialem revelationem & Angelico interveniente ministerio. Nec MARIÆ Virgini tantùm, priusquàm in utero conciperetur, sed etiam Josepho. Neque verò hoc nomen illo tantùm tempore, quo sic ab Angelo est appellatum, nobis insinuatum est, sed & indè à primi hominis lapsu prædictum ac promissum Gen. 3. Prædixit enim DEUS se *inimicitias* positurum *inter serpentem & mulierem*, inter semen illius & hujus, caputque serpentis conterendum. Promisit etiam in hoc benedicto semine Gen. 18. omnes gentes benedicendas, sed nec fidelibus & Israëlitis tantùm, verùm etiam ipsis Gentilibus per Sybillas, hoc nomen Salvatoris revelatum fuit. Extat enim apud Euseb. in Orat. Constantini Imperatoris carmen Sybillæ Erithrææ cap. 18. Cujus initiales literæ in unum collectæ hæc in se verba comprehendunt. *JESUS Christus DEI Filius Servator*. Quod Sybillæ carmen ne quis ab aliquo religionis nostræ homine conscriptum, & alieno editum nomine suspicetur, Constantinus citatæ Orationis cap. 9. etiam Ciceronem id vidissè, legissè, & carminis elegantia delectatum in Roma-

Romanum vertisse sermonem suisq; scriptis attextuisse restatur. Hujus quoque nominis dignitas ex eo patet, quòd cum varia in Scripturis nomina Deus & Dei Filius sortiat, vocatur enim Dei Filius, Verbum Patris, Emmanuel, Adonai &c. nullum tamen sit ad cujus pronuntiationem genua flectamus, vel profundæ humiliationis edamus signa, nisi ad hujus nominis prolationem juxta illa D. Pauli verba Philipp. 2. *In nomine Jesu omne genua flectatur, caelestium &c.* cujus hæc ratio dari potest. Quia tale honoris signum non solum in reverentiæ, sed etiam in grati animi officium Christo Deo propter redemptionis & saluationis nostræ beneficium exhibeamus. In aliis siquidem nominibus sola Christi gloria, non etiam salus nostra designatur. At nomen JESUS, Salvatorem sonat, quo nomine & ipsius gloria, & salus nostra continetur. *Non est enim aliud sub celo nomen datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. 4. Cum igitur hoc solo nomine constet nostra salus, etiam ad hujus solius nominis honorem assurgimus, & genua flectimus, Divini Numinis Majestatem reverentes, & pro salute nobis per hoc sacrum nomen impensa gratias agentes. Hoc enim nomē gloriosos alioqui titulos Angelorum superat, dicuntur namq; Dominationes, Throni, Potestates, Virtutes, Cherubim, Seraphim, nullus tamen eorum Salvatoris titulum accipere meruit. *Non est Salvator,* inquit Osee 13, *præter me.* Hoc nomen unicum & singulare nomen super omne nomen, sive quod in terris, sive quod in cœlis, sive quod in præsentibus, sive quod in futuro nominabitur, uni DEI Filio proprium. *Tanto quippe major Angelis effectus est* Hebr. 1. *quanto differentius præ illis nomen hereditavit.* Quis non ergò hic cum Propheeta exclamet. Psalmo 8. *Domine DEUS noster quàm admirabile est nomen tuum in universa terra!* Imò & in Cœlis, & apud inferos, gloriâ ejus plena sunt omnia. Et terra quidem tam mirabili quotidie tot peccatorum conversione ac liberatione, Cœlum tantâ Electorum & Salvatorum

gloriã : Inferi , tot olim Patrum inde ereptorum beneficio. Tartara deniq; ipsa , tot debellatorum dæmonum plena victoriis, An non ergo dignum est ut in nomine JESU omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium &c. ut omnes illius Majestatem honorent, venerentur, adorent, utq̃ue omnis creatura subiciatur, serviat, & obediat. Deniq; *omnis lingua*, nolit, velit, dæmonum etiam ac reproborum, *confiteatur & clamet*, quia *Christus JESUS est in gloria Dei Patris*. An non meritò Dominus per Isaiam cap. 45. *Mihi curvabitur omne genu, & omnis lingua jurabit*. An non meritò Micheas cap. 6. *Curvabo genu DEO excelso*. An non meritò Propheta Regius Ps. 61. *Nonne DEO erit subjecta anima mea ab ipso enim salutare meum*. Quasi diceret. Ipse est JESUS Salvator meus. Pulchrè D. Ambrosius in Ps. 18. *Quanta fecit DEUS judeo dicere, & non flexi ei genu, sed flexi ei postquam se humiliavit*. Quasi diceret. Fecisti me, & fecisti mundum propter me. Dominum orbis me constituisti, & non genu flectens adoravi te, ac postquam te vidi pro me humiliatum, plagatum, crucifixum, id est, postquam te ostendisti verè JESUM & Salvatorem meū, stare non potui sed tanto amoris pondere victus, in terra prostratus, adoravi te. Nō desunt qui erga Dominos & Benefactores gratitudinē testantur apertione capitis cū eorum nomen audiunt. Si hæc reverentia Principibus tantilli beneficii intuitu exhibetur, quid nos tantæ salutis auctori & libertatis nostræ vindicæ exhibere decet? Quid enim per JESUM nacti sumus? quam dignitatem adepti? *Fecisti nos* inquit Joannes Apoc. 5. *DEO nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram*, imò super cœlum. Per te enim Domine regnum, per te Sacerdotium, per te DEI amicitiam & pacem, per te Spiritum S. per te dignitatem adoptionis hæreditatisq̃ue filiorum DEI, per te veniam peccatorum, per te Angelorum contubernium, per te deniq; immortalem gloriam, & confessum ad de-

xteram

xteram DEI Patris, adepti sumus. Veniant ergo omnes Gentes quascunque fecisti, plallant & adorent coram te Domine & glorificent nomen tuum. *Juvenes etiam & virgines, senes cum junioribus laudent Nomen Domini quia exaltatum est nomen ejus solius. Pl. 148.*

Jam secundo loco dicendum est de hujus nominis virtute, potentia, efficacia. Potentiam verò & efficaciam hujus nominis declarat Sapia Prov. 18. cum dicit. *Turris fortissima nomen Domini, & Jer. 10. Magnus est tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te o Rex Gentium? Vis potentiam videre, virtutem, efficaciam istius nominis? Mala omnia depellit, aufert, dissipat, bona omnia confert & conciliat, invictos, insuperabiles, inexpugnabiles reddit. Primum itaq; ægros sanat, leprosos mundat, visum cæcis restituit, claudis gressum præbet, paraliticos confirmat, mortuos suscitatur; in nomine JESU Nazareni, inquit Petrus Act. 3. surge & ambula, Et Act. 4. Notum sit vobis omnibus quia in nomine JESU iste adlat coram vobis sanus. Et Dominus Marc. ult. In nomine meo demonia ejicient &c. In hujus nominis virtute prostravit inermis David armatum Philistæum, cum ait 1. Reg. 17. Tu venis ad me cum gladio & hasta & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum. Ita Joann. 18. & cohortes militum cum proditore Judæ ad Christum capiendum venientes, nominis hujus virtus atque potentia retrorsum egit. Hoc Reges nomen salvat. DEUS, inquit Psalmista 13. in nomine tuo salvum me fac. Hoc nomen Gentibus est timori Pl. 101. Timebunt Gentes nomen tuum. Hoc nomen auxilium præbet afflictis Pl. 123. Adjutorium nostrum in nomine Domini. Hoc nomen dæmonibus est terribile Psal. 101. Sanctum, & terribile nomen ejus. Hoc nomine omnia à Patre obtinentur. Joann. 15. Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Hoc rursus nomine justificamur & sanctificamur.*

Abluti

Abluti inquit Apost. 1. Cor. 6. estis, sanctificati estis &c. in nomine Domini nostri JESU Christi. Hoc nomine salvamur Heb. 4. Non est aliud datum nomen sub celo in quo nos oporteat salvos fieri. Et Joël. 2. Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Et Jer. 14. Tu autem in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum est super nos. ne derelinquas nos Domine DEUS noster. Iterum, Hoc nomine, peccatorum omnium, quamvis gravium & enormium, fit remissio Pl. 24. Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo. Denique hoc nomine superamus adversarios nostros. Pl. 19. Hi in curribus & equis, nos autem in nomine Domini invocabimus, &c. Postremò hoc nomine Philosophi & Sapientes hujus mundi sunt victi, de quo præclarum extat exemplum apud Sozomenum lib. 1. c. 17. de duobus Philosophis, qui duorum Senum simplicitate cum illis differentium ad fidem sunt conversi, quorum quidem Senum unus Philosopho præcipiebat in nomine D. JESU Christi ut audiret: alter verò in eodem nomine præcipiebat Philosopho ne loqueretur. Tantaq; vis horum verborum in Senibus fuit, ut utrumque vicerint, qui tamen priùs nec per Concilium quidem Nicææ exactum, cui interfuerant converti poterant. Quia verò Sathanas hujus nominis virtutem & potentiam non ignoravit, sed suo magno malo jam diu expertus est, ideò ad illud ipsum opprimendum & extingvendum totum concitavit orbem, Judæos, Gentiles, plebem, Monarchas, Philosophos, Hæreticos, eosque omni armorum genere, furore, crudelitate, ingenio, arte, fraudibus muniivit. Ego, inquit unus Act. 20. inter omnes astimaveram adversus nomen D. JESU Nazareni debere multa contraria agere, quod & feci. &c. Verùm extingvere, & opprimere hujus nominis gloriam, & virtutem, nullo modo potuerunt. Hic triumphalis ille titulus quem Pharisæi abolere nequiverunt: quod enim scripserat Pilatus Joan 19. scriptum remansit. JESUS Naz., Rex Jud. Inò quantò magis Tyranni oppri-

opprimere hoc nomen conati, tantò illustrius reddiderunt. Quisquis ergo acerbissimas Sanctorum passiones & cruciatus cogitas, exquisitissima miraris supplicia, qualia quantaque in sæviciem ingeniosa impietas & crudelitas excogitare potuit & infligere, in his tam fortiter toleratis & superatis contemptis, vim hujus nominis & insuperabilem potentiam contemplare. O verè gloriosum & triumphale D. N. JESU CHRISTI nomen! ô verè potens, atque invictum! Verè *turris fortissima nomen Domini* Jer. 10. *Verè Domine magnus & tu es, & magnum nomen tuum in fortitudine.* Confugiamus igitur in omnibus necessitatibus nostris, periculis, tentationibus, ad hoc sanctum & invictum nomen, velut ad fortissimam turrim & insuperabile præsidium. Frequenter hoc nomen invocemus, dicamusque cum Pl. 59. *DEus in nomine tuo saluum me fac.* Et Pl. 30. *Fortitudo mea & refugium meum es tu. Propter nomen tuum deduxisti me.* &c. *Exaudiat nos Dominus in die tribulationis, protegat nos nomen DEI* Jacob Pl. 10. Quisquis enim testelai. cap. 5, ambulavit in tenebris, & non est ei lumen &c. *Speret in nomine Domini, & innitatur super DEum suum.* Sanè testatur D. Chrylost. Hom. 9. in epist. ad Coloss. Super neminem unquam infirmum nomen JESU piè & sanctè invocari, quin sanitatem, si ei expediat, consequatur. Sed fit malitià & infidelitate nostrâ, ut evanuerit jam quodammodo hujus nominis virtus & potentia, & tam rarò apud nos sese exerat. Nam quomodo sine fide invocatum & prolatum non proffit, docet Lucas in Act. 19. ubi adjuratus in hoc nomine Sathanas dixit, *JESUM novi, & Paulum scio, vos autem qui estis?*

Jam tertio dicendum de dulcedine & suavitate nominis JESU. Rectè enim Bern. serm. 15. in Cant. *Nullum in sacris paginis reperies nomen, scilicet Divinum, quod non aut Majestatis potentiam, aut pietatis gratiam sonet.* Et quidem nomina olim in ve-

C

teri

teri lege DEO attributa, plena sunt Majestatis, terroris, ac formidinis, ut cùm dicitur, DEUS, Magnus, Potens, Excelsus, Fortis, Zelotes, Adonai, DEus Sabaoth, DEus Deorum Dominus, DEus ultionum, Visitans iniquitates, DEus scrutans corda & renes, Terribilis super omnes Deos, Ignis consumens, Auferens spiritum Principum. At nomen istud benedictum JESUS, nomen est pietatis, benignitatis, indulgentiæ, misericordiæ, charitatis, gratiæ, dulcedinis, suavicitatis. Significans nimirum reconciliatum nobis DEUM Patrem, placabilem, indulgentem, benignum: qui prius ob peccata nostra iratus, terrorem & mortem ingeminabat. Fuit aliquando tempus cùm diceret Jer. 18. *Ecce ego fingo contra vos malum, & cogito contra vos cogitationem.* At nunc. *Scio inquit cogitationes quas ego cogito super vos cogitationes pacis, & non afflictionis.* Jer. 9. Quoties in veteri lege minabatur. *Semel descendam inter vos & delibor vos de superficie terra.* At nunc Matth. 20. *descendit ad nos DEI Filius non ut pereat mundus sed ut salvetur, & animam suam det promul-
tis.* Olim propèerat, ultionum Dominus, longè à peccatoribus *salus.* At per Filium DEI Hominem JESUM factum, facta est peccatoribus *salus.* Id quod olim prævidens David Psal. 34. *ajebat. Dic animæ meæ salus tua ego sum,* quasi diceret. Satis diu hætenus dixisti, Ego Dominus omnipotens, terribilis, fortis, &c. Abscondantur hæc nomina potestatis, majestatis, terroris, & exhibeatur illud nomen gratiæ, misericordiæ, & benignitatis. Veniat JESUS, veniat DEUS Salutis, veniat Salutare Dei & Salus mundi.

Hujus nominis dulcedinem gustaverat Propheta, Ps. 134. *Laudate Dominum quoniam bonus, quoniam suave nomen ejus.* Et alius qui sic dicit, Isai. 26. *Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ meæ.* Et rursus alius. Abac. 3. *Ego autem gaudebo in Domino, & exultabo in Deo Jesu meo.* Et Eccli. 24. *Spiritus meus super mel*

per mel dulcis. Hæc est illa dulcedo quam montes stillaturos prædixit Joël cap. 1. Hic mel de petra, oleumq. de saxo durissimo fugitur. Deut. 32. Hæc illa dulcedo de forti egressa, mel inquam de ore leonis à Samfone interfecti, Judic. 14. Hoc illud dulce oleum de quo Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum.* Et reatè oleum juxta S. Bern. Serm. 15. in Cant. *Oleum enim tria habet, lucet, pascit, & dulciter ungit. Ita hoc nomen lucet prædicatum, pascit recogitatum, lenit & ungit invocatum. Nec tantum oleum, sed oleum effusum usquequaq. nempe de calo in Judæam, de Judæa in omnem terram excurret; effusum sanè quod non solum celos terrasq. perfudit, sed aspersit & inferos. Quam hoc oleum carum, & quam vile? vile, sed salubre. Si vile non esset, non mihi effunderetur: si salubre non esset, non me lucraretur. Et quid mirum si sponsi effusum sit nomen, cum ipse quoq. effusus sit. Nam semetipsum exinanivit Philip. 2. ideoq. ait Psal. 21. *Sicut aqua effusus sum.**

Lacteam & mellifluam hujus olei dulcedinem expertus est Apostolus, in cujus ore oleum hoc natabat. Hinc ita frequenter in epistolis suis hoc dulce nomen scriptum reliquit; juxta quorundam enim supputationem, ducenties & eò amplius illud nominavit. Sanè apud Corinthios agens non se aliud scire judicabat, quàm JESum Christum & hunc crucifixum. D. quoque Joan. Evang. adeò frequenter hoc dulce JESU nomen in ore habuit, ut illud non minus quàm ducèties quinquagesies scriptis suis inseruerit. Quàm avidè hanc etiam dulcedinem imbibe- rat S. Eustochia, in cujus mamillis multis post annis ab ejus martyrio, inventum fuisse scribit Alanus Copus. lib. 3. Dialog. cap. 29. Quàm hæc dulcedo affecerat palatum D. Bernardi loc. cit: cum ait. *Aridus est omnis anima cibus, si non oleo isto infunditur, insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi JESum. Si disputes, aut conferas, non sapit mihi nisi ibi sonuerit JESus. JESus mel in ore, melos in aure, jubilum in corde.*

Divus quoque Augustinus lacteum hoc nomen cum ipso lacte, instillante piâ matre, sic combiberat, ut nullus quoque illi saperet liber, quantumcunque elegans, in quo hoc nomen non legeretur. Ut ipsemet de se testatur & confitetur in libro 3. suarum Confessionum cap. 4. Tanta porro est hujus nominis dulcedo, ut instar generosi & suavis vini mentes hominum potenter inebriet. Docent hoc Apostolorum & Martyrum exempla, de quibus legitur Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes, à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Et Paulus. *Non solum alligari, sed mori Act. 21. inquit, paratus sum propter nomen Domini nostri Jesu,* unde frequenter gloriatur, quod sit vincetus JESU Christi, & ad Gal. 6. *Ego signata Domini nostri Jesu Christi in corpore meo porto.* Hinc iterum Rom. 8. clamat. *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, angustia, &c. Certus sum quia neq. mors, neq. vita, &c.* Quid etiam aliud Stephano dulcem fecit illum imbrem saxeam? Quid Laurentio flammam refrigeravit? Quid aliud Vincentio ignem in rosas convertit, quàm dulcissimum nomen D. N. JESU Christi?

Denique quid cæteros Martyres ad tam dira currere impulit supplicia & cruciatus, quorum vel sola recordatio horrorem armis incutere queat, nisi hoc mellifluum nomen? O indicibilem nominis hujus dulcedinem, ejusque dulcedinis energiam! O invictam Divinæ suavitatis potentiam omnibus mundi hujus gaudiis & voluptatibus, imò & tormentis & cruciatibus cunctis superiorem! Sed quàm abdita, quàm latens, quàm occulta est? Exclamabat olim David Ps. 30. *Quàm magna dulcedinis tue multitudo Domine, sed quàm abscondisti, inquit, timentibus te!* & rectè inquit hanc Deum abscondisti. Verè si quidem abscondita est à mundi hujus sensu, & oculis, valdeque secreta. Est enim manna illud absconditum omne habens in se delectamentum. Hic thesaurus est in agro Domini occulta-
tus. Matth.

tus. Matth. 13. Hoc mysterium & Sacramentum à sæculis absconditum. Coloss. 2. Hæc margarita illa pretiosa inventa non obvia. Verè DEus absconditus tuus. O Beatos, ter & ampliùs quibus revelatur, à quibus invenitur, qui illum assequuntur: infelices verò qui nesciunt, qui contemnunt, qui negligunt: sed quisnam inquires, modus, hunc thesaurum inveniendi, aut quænam ejus quærendi ratio? Audi Christum D. Matth. 11. *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.* Quibus verbis significat solos pauperes spiritu & parvulos in oculis suis hujus mysterii capaces esse. Humiles ergo simus & parvuli, ne pudeat nos parvuli & humilissimi JESU, ne erubescamus eum inglorium, pauperem, infirmum, esurientem, sitientem, lassatum, lacrymantem, omnibus deniq; injuriis expositum. Neque offendat nos crux ejus, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitia. Sed, quod res est, unam hanc sapientiam, unam gloriam, unam virtutem reputemus. In uno JESU crucifixo omnem beatitudinem, omnes honores, opes, voluptates, & oblectationes quæramus. Hoc primò est faciendum.

Secundò. Frequenter recogitando, & in mentem revocando beneficia, hoc nomine præstata nobis. Quemadmodum enim aromata nisi ore sumpta & soluta vel comminuta, vim suam non exerunt; & quemadmodum quarundam herbarum vix sentitur odor, nisi digitis manibusque confricentur, ita nominis hujus dulcedo ac suavitas non excipitur nisi pie & jugiter mediteris, rumines, & in mentem revoces ejus beneficia.

Tertiò. Abducendus est animus à terrenarum voluptatum amore, nam deliciis nominis hujus frui nemo potest, qui non his libenter caruerit, iisque valedixerit. Ablactatos nos oportet à mundi lacte, ab ejusque uberibus avulsos, neq; enim hoc cæleste nobis manna dabitur nisi defecerit farina Ægyptiorum.

C 3

Quartò.

Quartò, tribulationes omnes, atque aduersitates patienter ferendas propter hujus nominis amorem; nusquam enim magis se insinuat aperitque JEsu nostri nominis dulcedo quàm in tribulationibus. *Cum ipso*, inquit Pl. 9 *sum in tribulatione*, & Pl. 93. *Secundùm multitudinem dolorum consolationes tuae latificauerunt animam meam*. Sic legitur de Apostolis A. 5. *Ibant gaudentes &c.* De SS, etiam Marco & Marcelliano scribitur, quòd cum Tyrannus ad eos in tormentis positos exclamaret *Respiscite miseri, respiscite & vos ipsos ab his cruciatibus eripite*, animosè responderunt: *Nunquam tam jucundè epulati sumus, quàm hac libentes JEsu Christi causâ perferimus, in cuius amore fixi nunc esse cupimus*. In Breviar. Rom. 18. Jun.

Postremò, si frequenter hoc nomen invocemus, & ab iniquitate discedamus; *Discedit enim ab iniquitate*, inquit Apost. 2. Tim. 2. *qui invocat nomen Domini, ne per nos nomen Domini blasphemetur*. Quo verò fructu invocetur, audi D. Bern. *Tristatur* inquit, *aliquis nostrum, veniat in cor JEsus, & inde satiat in os: & ecce ad exortum nominis huius, nubilum omne diffugit, redit serenum*. *Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando, nonne si invocet nomen vite confestim respirabit ad vitam?* Cui fons fortè siccatus lachrymarum, invocato JEsu, non continuo erupit uberior, fluxit suavior? Cui in periculis palpitanti & trepidanti, invocatum virtutis nomen, non statim fiduciam præstitit, & pepulit metum? Cui quæso in dubiis fluctuanti, & altuanti, non subito ad invocationem huius nominis emicuit certitudo? Cui in aduersis diffidenti, jam jamq; deficienti, si nomen adiutoris sonuit, defuit fortitudo? nimirum morbi & langviores anime isti sunt, illa medicina. *Invoca me inquit in die tribulationis &c. eripiam te*.

Denique si omnia quæ facimus ad istius nominis gloriam referamus, dicente Apostolo 1. Cor. 15. *Omne quodcumq; facitis in verbo, aut opere, omnia in nomine D N. JEsu Christi facite, gratias agentes*

agentes Deo & Patri per ipsum. Et. *Sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite, qui est benedictus in sæcula.*

STRENA III.

De Nominibus quæ in Baptismo assumimus.

Quandoquidem in præterita Strena multa disseruimus de nomine JESUS & Scriptura etiam faciat mentionem novorum nominum, quæ DEUS dedit, vel dare promisit Apoc. 2. Non alienum fuerit, nec inutile, si etiam aliquid hæc occasione pro Strena dicam, de impositione nominum Christianorum quæ fit in Sacramento Baptismi: in hac enim nominum impositione & ipsis nominibus non exiguum latet mysterium. Estque res consideratione & observatione dignissima, quemadmodum olim & ipse Chrylost. S. observavit hom. 21. scribens in cap. 5. Genes. explicans autem genealogiam Seth, cui natus legitur Enos, qui cœpit invocare nomen Domini. *Vidisti, inquit, appellationem diademate clariorem, purpurâ nobiliorem, quid fuerit illo beatius, qui invocatione nominis Dei ornatur, idq; pro nomine possidet! Vides & in parvis appellationibus magnas sententiarum divitias esse reconditas. Non solum enim hic Parentum monstratur pietas, sed & magna erga pueros diligentia. Et quomodo statim & à principio erudiebant pueros qui ipsis nascebantur, admonentes appellationibus, quas illis imponebant ut virtutem exercerent? & non sicut nunc fortuito & absq; causa nomina fiunt. Dicunt enim, Juxta nomen Avi aut Abavi nominetur puer. At præsci non ita, sed omnem operam adhibebant, ut talia nominis imponerent nomina, quæ non solum illos qui nomina sortiebantur*

in virtute